

ANNOTATA

V. II. Εἰ ἡμεῖς ὑμῶν τὰ πνευματικὰ ἀσπείρομεν μέγα, εἰ ἡμεῖς ὑμῶν τὰ σαρκικὰ θερίζομεν;

Bis à Minori ducit argumentum : Primum à jumentis ad homines : Deinde ab hominibus laborantibus in iis, quæ ad hanc vitam attinent, ad homines laborantes in rebus ducentibus ad vitam meliorem. Si illi digni sunt, qui alentur, quanto magis hi. Serere & metere frequentia in Proverbiis, ut notavimus ad Matt. XXV. 22. Joh. IV. 37. Hoc loco serere est operam præstare, metere pro operâ aliquid accipere. μέγα, id est, an mirum est? Sic ὁ μέγα minimè mirum. 2. Cor. XI. 15.

Qui arant, in spe arant messem sequuturæ. *Spes alit agricolas* ut Ovidius l. i. de Ponto. Qui tritulant in spe mercedis consequendæ tritulant. Æquum ergò, ut qui in aratro & triturâ spiritali occupantur, spe fructus & mercedis non frustrentur. Quæ tamen perperam trahit Cornelius *ad spem mercedis aternæ*. Non enim de aternâ mercede, sed de stipendio ministris Ecclesiæ debito agitur. Nec verò mercedis vitæ aternæ intuitu operandum est. Illa enim χάρισμα est Rom. VI. v. ult. Et rectè S. Bernhardus tr. de dilig. Deo : *Non nisi premio diligitur Deus, etsi absq; præmii intuitu diligendus est : Vera charitas mercenaria non est, quamvis merces eam sequatur.*

Εἰ ἄλλοι τῆς ἐξουσίας ὑμῶν μετέχουσιν, ὁ μᾶλλον ἡμεῖς. Si alii fruuntur jure in vos, quanto magis nos. Supple, æquum fuit pari frui jure? Ἐξουσία ὑμῶν εἰς ὑμᾶς, quomodo ἐξουσία πάσης σαρκὸς Joh. XVII. 2. Ἐξουσία πνευματικῶν Matt. X. 1.

Per alios nonnulli *Pseudo Apostolos* intelligunt. Sed rectius veros *Doctores Ecclesiarum*, non præcisè Ecclesiæ Corinthiacæ designari credunt. Hi enim jure stipendia capiebant : Illi de facto. Et argumentum à jure & ἐξουσία petitum est.

Ἀλλ' ὅτι ἐχρησάμεθα τῇ ἐξουσίᾳ ταύτῃ. Qui jus habet, potest & ejus juris usu abstinere. Alio qui Dominus ejus juris non esset.

Ἀλλὰ πάντα σέζομεν. Perferimus. Sic σέζειν habemus infra XIII. 7. 2. Thesf. III. 1. 5.